



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 57. S. Paulini Conversio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV.  
A. C. 394.

pulcherrima societate conjunxiffe. S. Hieronymus hanc orationem prudentia plenam, elegantem, & ad omnes artis regulas exactam judicat. S. Paulinum hortatur, ut datum sibi eloquentiæ donum excolat, ingeniumque suum Sacræ Scripturæ, & Scriptorum Ecclesiasticorum lectione fœcundet; S. Hieronymus hic Scriptores memorat, & transeundo sua crisi perstringit. Illo ferme tempore, a S. Hieronymo consilium expetiit per Epistolam Furia, Romæ ex primis stirpibus orta, Camillorum, & S. Paulæ propinqua; ea, cum esset vidua, juvenis, & improlis, quid sibi ad salutem optimum esset, exquirebat. Eam S. Hieronymus hortatur, ut in eo, quo erat, statu permaneat, quantumcunque Pater ejus Letus instaret, & familiares alterum matrimonium suaderent. Secundarum nuptiarum incommoda ante oculos exhibet, & suadet, ut non tantum ab esu carniæ abstinereat, & a vino, sed etiam delicatiora legumina non gustet; lectioni, orationi, elemosinæ distribuendæ intendat animum, & procul ab hominum commercio vivat. Eam quoque ad libros, adversus Jovinianum, ante annos duos scriptos, remittit.

§. LVII.

*S. Paulini Conversio.*

*Ep. 10.* Cum S. Paulinus Barcenone officio Ecclesiæ

clesiæ die Nativitatis Domini inter-  
 esset, populus, zelo flagrans, subito ei  
 manus iniecit, Episcopo Lampio sistit,  
 cogitque, ut Presbyterum consecret. Re-  
 sistebat S. Paulinus, quod nihil nisi soli-  
 tudinem cogitaret, & vitæ monasticæ ob-  
 scuritatem. Jam diu apud se statuerat,  
 Nolæ in Italia reliquos vitæ dies apud  
 S. Felicis sepulchrum transigere. Illa er-  
 go solum conditione in ordinationem  
 suam consensit, ut communibus quidem  
 Sacerdotii legibus, sed non stabiliter Ec-  
 clesiæ Barcenonensi servire teneretur;  
 atque hoc exemplum ordinationis ab  
 omni vinculo liberæ inter omnium pri-  
 ma reperitur. Id quoque videtur, Pau-  
 linum statim fuisse in Presbyterum ordi-  
 natum, cum prius inferioribus ordinibus  
 non esset initiatus, nam testem Deum in-  
 vocat, quod non modo Presbyteratum  
 non spernat, sed initium serviendi Ecclē-  
 siæ facere in ordine ostiarii in votis fue-  
 rit. Tunc vero S. Paulinus, ut perfe-  
 ctius Deo uniretur, bonorum suorum om-  
 nium impedimentis animum liberavit,  
 eaque inter pauperes distribuit; horrea,  
 cellasque quibuscunque petentibus ape-  
 ruit, nec id beneficii vicinis tantum ex-  
 hibuit, procul etiam agentes convoca-  
 bat, ut nutriret, & vestiret. Innumeros  
 captivos, & pauperes debitores, ad ser-  
 vitutem redactos, quod solvendo non  
 essent,

Sæculum IV.  
A. C. 394.

Ep. 1. al. 6.

ad Sever. 2.

al. 25. ad

Amand.

Uran. ep. c. 4.

Hist. Eccles. Tom. IV. XXX essent,

Sæculum IV. essent, pretio redemit; pro pluribus  
 A. C. 394. liis, non habentibus, debita solvit. Re-

*Ep. 3. al. 45.  
 ad Alyp.*

bus suis ita dispositis, in Italiam migrans,  
 Mediolanum venit, ubi eum S. Ambro-  
 sius retinere volebat, & suis Clericis an-  
 numerare, ita ut, ubicunque degeret,  
 pro Presbytero Mediolanensi haberetur;  
 noluit S. Paulinus consentire, & cæpto  
 itinere pergens in urbem pervenit, ibi-  
 que a populo perbenevole, non autem  
 a Clericis exceptus est, quorum pars, &  
 ipse Pontifex, nullum sibi cum eo com-  
 mercium esse voluere. S. Paulinus, in-

*Ep. 1. al. 5.*

vidiæ cedens, discessit; at ad amicum  
 suum Severum scribens, de contemptu  
 conqueritur. Forte Pontifici displice-  
 bat, S. Paulinum, Neophytum, & simpli-  
 cem Laicum in Presbyterum fuisse ordi-  
 natum contra Canones, quorum obser-  
 vantiam ipse in una Epistolarum suarum  
 inculcat. Sed Paulinus ob vim, sibi illa-  
 tam, excusatione dignus erat.

*Siric. ep. ad  
 Orthod.*

*Natal. 2.*

Tandem Nolam se recepit, ubi omnes  
 vitæ dies, quod jam ante quindecim an-  
 nos in voto habuerat, consumpsit. Ut  
 ibi magis, quam alibi vivere mallet, per-  
 movit devotio erga S. Felicem Martyrem,  
 cujus miracula magnum populi concur-  
 sum ex omnibus Italiæ partibus attra-  
 hebat. Hæc S. Paulino perspectius nota  
 erant, ob patrimonii sui fundos quos in  
 vicinia habebat; itaque a puero S. Feli-  
 cem,

cem, Patronum suum, & Tutorem colere cœpit, quæ devotio ad ejus conversionem multum contulit. Ergo prope Ecclesiam habitabat, ubi S. Felicis Reliquiæ quiescebant; locus erat suo situ amœnus, ab urbe Nola quingentos passus distans; ibi cum S. Theresia Conjuge sua ex modici prædii redditibus, quod sibi reservaverat, sustentabatur. Hujus Ecclesiæ Custos esse sibi videbatur, portas mane verrebatur, noctu ibi vigilabat. Singulis annis Poema in Sancti honorem concinnabat, quod die ejus festo 14. Jan. in lucem edebatur; talia nobis decem supersunt Poemata, quorum primum composuit, cum adhuc in Hispania esset, omnia ad iter suum in Italiam præparans; secundum, primo anno, quo ibi moratus est; at certe plura alia scripserat, quippe triginta quinque circiter annos ibi fuit. In illo secessu S. Paulinus pauperem vitam ducebat, ex vasis ligneis & fictilibus comedens; vili, & inculto vestitu tegebatur, jejunabat, orabat, omnem vitæ Monasticæ Disciplinam servabat.

S. Ambrosius, audita Paulini conversione, ad S. Sabinum, Episcopum Placentinum, amicum suum scripsit, prævidens fore, ut tanta mutatio hominibus profanabilem moveret. *Intolerabile, inquit: ipsis videbitur, ut primæ nobilitatis vir, tanto ingenio, rara eloquentia, relicto Senatu,*

Sæculum IV.  
A. C. 395.

Ep. Ambr.  
38.

X x x 2

natu,

Sæculum IV. *natu, clarissimum genus suum extingu*  
A. C. 395. *patiatur. Illi, qui caput, & supercilia*  
*radere solent, cum Isidi consecrantur, in-*  
*dignum exclamabunt, Christianum Reli-*  
*gionis amore vestitum mutare.*

## §. LVIII.

*Imperatoris Theodosii obitus.*

*Soer. V.*  
*c. ult.*  
*Soz. VII.*  
*c. ult.*

*Claud. de 33.*  
*Conf. Honor.*  
*Theod. V.*  
*c. 25.*

*Ambr. de ob.*  
*Theod. n. 4. 5.*

Theodosium Imperatorem Constantino-  
 polim revertentem, anni 395. initio,  
 hidropisis mortifera invasit, quam ultimi  
 belli fatigationibus contraxerat. Ubi æ-  
 gritudinem sensit, illico S. Joannis Ægy-  
 ptiaci vaticinium in memoriam rediit,  
 certusque se ex hoc morbo decessurum,  
 usque ad ultimum, quæ ad Reipublicæ  
 quietem facerent, disponere non desit,  
 magnos enim tumultus post mortem  
 suam exituros ominabatur. Ambos fi-  
 lios Stiliconis prudentiæ, & fidei com-  
 mendavit; is, Theodosio conciliante, i-  
 psius Neptem, nomine Serenam, duxerat,  
 tuncque statuit Theodosius, ut eorum  
 filia, Maria, Honorio nuberet. Dum Im-  
 perium divisit filiis, hortabatur, ut am-  
 bo sollicite defenderent Religionem, sine  
 qua Regnum stare non posset. Omnibus  
 circa filios compositis, testamentum in  
 bonum populorum condidit. Veniam,  
 iis concessam, confirmavit, qui contra se  
 arma tulerant, cujus veniæ litteræ nec-  
 dum expediri poterant. Etiam tributi  
 cujus-